Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35497
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

huius ascensionis gradus, videlicet post vicia declinata ad virtu
tes ascendat / nec potest quis ad illas ascendere tepidus nec
negligens aut remissus. Prima ascensio ad virtutes
est ad humilitatem / que est virtus secundum Bernardum qua homo verissima
cognicione sui sibimet vilescit. Humilitas sanctorum et magnorum
hoc est quod quanto maiores se vident tanto magis humiliant se
in omnibus quod habent totum reddentes illi a quo totum habent / quia
furti reus est qui sibi aliquid retinet de hiis que sibi sunt
commendata invito domino / cum ipse dicit / gloriam meam alteri non da
bo / profectum nobis libenter concedat in bonis suis, sed gloriam sibi
reservat. Secunda ascensio est ad virtutem paciencie / que virtus est
eterne glorie respectu voluntaria et superabilis perpessio laborum,
que est compati passioni christi. Talia vero studeat devotus in hac
ascensione christo rependere quia ab ipso accepit, qui dolores
nostros ipse portavit. Et hec sunt delicie sanctorum in tribulacione
paciendum et gaudendum, ut sic occasionem habeant et oportu
nitatem retribuendi domino aliquo modo pro illa magna caritate
qua pro nobis animam posuit, saltem aliquid sustinendo, quia
bonorum nostrorum non indiget, ut aliquid de nostro ei dare possu
mus. Tercia ascensio est ad virtutem caritatis / que est virtus
que ceteris virtutibus vigorem tribuit, ut virtutes alie sint
magis meritorie et deo accepte. In hac virtute caritatis
studeat devotus sic ascendere ut serviat deo placeat deo.
fruatur deo. Nemo in hac vita potest esse perfectus nec api
cem alicuius virtutis valet comprehendere, vel stabiliter in summo
gradu semper manere, nisi in caritate perfecta fuerit radica
tus, quam qui habet omnes virtutes habere dicitur in habitu
Quod ostendit apostolus ait Caritas paciens est, benigna
est, non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambiciosa
non querit que sua sunt. Caritas igitur non extendit se ad dili